



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Enchiridivm Chronologicvm Sacræ Et Prophanæ Historiæ**

**Salian, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, 1638**

Præfatio Ad Lectorem Chronologiæ Stvdiosvm, Quæ est Introductio ad primariam tyronum doctrinæ huius informationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)



# PRAEFATIO AD LECTOREM CHRONOLOGIAE STUDIOSVM,

Quæ est  
Introductio ad primariam tyro-  
num doctrinæ huius infor-  
mationem.

## CAPUT PRIMVM.

*Causa & ratio Introductio-  
nis huius.*



Tsi eruditis homini-  
bus , nihil , vt spera-  
mus , obfuturus est  
noster hic labor , quo  
per annos expansos

Chronologiam ab Ortu rerum , ad  
Christum Dominum in cœlum af-  
sumptum , accurata perspicuaque bre-  
uitate tradimus ; labanti potius me-  
moriæ non nihil aliquando profutu-  
rus . quia tameū tyronum in hac scien-

## *Introductio*

*I. Offic.*

tia vtilitati, commodisq; seruimus  
in primis, pauca quædam prælibanda  
duximus, quæ ex eorum re fore credi-  
dimus: & quidem ea facilitate, ac pér-  
spicuitate, quæ eorum industriam pos-  
sit aequere, & doctrinæ huius accende-  
re cupiditatem, non à studij huius ala-  
critate deterrere: quod nonnulli nec  
opinatò faciunt, ijs congerendis, quæ  
præter difficultatem, quæ initijs ad-  
modum incongruens, atque impor-  
tuna est, permodicam habent, ad re-  
rum gestarum cognitionem, vel ne-  
cessitatem, vel fructum. Quoniam ve-  
ro, autore M. Tullio, omnis quæ à ra-  
tione suscipitur de aliqua re institu-  
tio, debet à definitione proficiisci, vt  
intelligatur quid sit id, de quo dispu-  
tetur, Age vim ac naturam Chrono-  
logiæ perpaucis explicemus.

---

## C A P V T II.

### *Quid sit Chronologia.*

**C**Chronologia itaque, vt hinc du-  
camus initium, Ratio quædam  
temporis est, vti vocis notatio postulat,  
quæ narrationi rei gestæ subseruiat,  
atq; obsecundet. Vel, si mauis, Exposi-  
tio rei gestæ, iuxta seriem atque ordi-  
nem temporis, quo illa contigisse me-  
mora-

## *ad Chronologiam.*

moratur. Non enim vim temporis e-  
xaminat ac naturam; quippe id philo-  
sophiae naturalis negotium est, sed  
quoniā res in tempore gestae sunt, eas,  
cum sui temporis peristasi, suscipit ex-  
plicandas Neq; tamē locorum ac per-  
sonarum circumstantias negligit, sed  
illæ in ipsa narratione, siue historia in-  
cluduntur, neq; peculiarem considerationē requirunt. Ex quo facile intel-  
ligitur quid Chronologus addat Hi-  
storicō, qui s̄aþe temporis obiter curā  
gerit, vt Herodotus, Plutarchus, Iu-  
stinus, Salustius, Iosephus, & si qui alij.  
At Chronologus tēpus studiose notat,  
& singulari studio persequitur, dum  
res quas tradit, ad certas temporis al-  
ligat notas, vt Thucidides, Dionysius  
Halicarnassensis, Diodorus Siculus,  
T. Liuius, Cornelius Tacitus, aliquę  
optimę notę Scriptores, Græci Latini-  
que, quos & Historicos, & Chro-  
nologos iure nominare possis.

---

## CAPVT III.

### *Quomodo Chronologus tempus consideret.*

**S**ed illud maxime intelligi volumus,  
nos hīc operā nudæ Chronologiæ,  
quæ Mathematicorum more, atque

ā 7      insti-

## *Introduction*

instituto, rationem temporis à rebus  
ipsis quantum potest abstrahit atque  
disiungit, minime collocare velle: sed  
rerum ipsarum curam nobis esse pri-  
mariam, easque mox ex ratione tem-  
poris digerendas esse, atque confir-  
mandas. Non enim historiam propter  
id tempus quærimus, quo illa conti-  
git, sed tempus propter ipsam histo-  
riam, quæ inde lucem accipit aliquā,  
ac firmitatem. Quæret aliquis, exem-  
pli causa Catilinariæ coniurationis  
historiam, quæ à M. Tullio in suo con-  
sulatu deprehensa, patefacta, atque  
oppressa est. Rem ipsam dabit Salu-  
stius, Dio, atque ut alios taceam, Tullius  
ipse multis locis; sed eius veritas  
illustrabitur atque firmabitur, si adda-  
tur quo anno vel Vrbis conditæ, vel  
Mundi, vel ante Christi Domini or-  
tum res ipsa contigerit. Historiam  
sine certis temporum notis conscri-  
bere, si verum fateri volumus, man-  
cum est atque imperfectum opus, ne-  
que iniuste obnoxium reprehensioni.  
Tempora sine historia digerere, ac  
contemplari, puta Solis ac Lunæ, ac  
reliquorum planetarum circuitus ac  
cyclos, indictiones, aut periodos re-  
bus gestis non illigatas, Mathematicum  
est, ac pene otiosum negotium:

res

## *Ad Chronologiam*

res gestas suis tribuere ac designare temporibus, & utrisque eam adhibere diligentiam, quam ratio postulat, id vero laudatissimum est, & perfecti Chronologi proprium munus.

## CAPUT IV.

*Quid sit Epocha Chronologica,  
quamq<sub>z</sub> multiplex.*

**F**T quoniam infinitior est Ratio temporis universè sumpta, Chronologi quosdam sibi terminos insig- nes, maximèque vulgo iactatos con- stituunt, quos vocant Epochas, quod vagum temporis cursum inhibeant; atque determinent, & à quibus nu- merandi principium petant. Verbi causa, quo anno à mundo condito na- tus sit Christus Dominus; quanto à Noëtico Diluvio, ab ortu Abrahæ, vel Mosis, ab exitu ab Ægypto, aut lege data: quo ab excisa Troia, à Templo Salomonis condito, vele- uerso; ab exordio Olympiadum, ab Urbe condita, vel à Regum fuga. Ab initio Imperij Assyriorum, Babylo- niorum, Persarum, Græcorum, atque Romanorum, & alijs id genus quam- plurimis. Quas Epochas in Annali- bus nostris iam pridem non negli- genter

## *Introductio*

genter obseruatas, in hoc quoque li-  
bello retinuimus.

Eodem referuntur diuisiones, per  
certa quædam temporum spatia, &  
quidem paulò maiora, ne memoriam  
multitudo perturbet, qualis effetho-  
rarum, dierum, hebdomadarum, aut  
etiam mensium nimis accurata ac nu-  
merosa collectio: sed annorum, & qui-  
dem plurium, nempe quatuor, ut in  
Olympiadibus, septem, ut in Sabba-  
tismis, quindecim ut in Indictioni-  
bus, nouendecim; & 28 in Lunæ So-  
lisque cyclis, quinquaginta ut in Iubi-  
læis, centum, ut in seculis. Plerique  
etiam totam mundi durationem, &  
quæ iam antecessit, & quæ deinceps  
futura est, in aliquot ætates, similitu-  
dine quadam petita ab hominum vi-  
ta, partiuntur; quos in hoc Enchiri-  
dio nos quoque imitati sumus. Nam  
Mundi quasi Infantiam ab ortu re-  
rum, ad Noëticum vsque Diluvium,  
dimetimur. Inde Pueritiam eius  
exorsi, eam Abrahæ nativitate,  
aut vocatione definimus; & ortu  
**Mosis Adolescentiam: Iuuentutem ad**  
Regum Hebræorum dominationem  
vsque producimus. Eorum autem Re-  
ges, ad Imperium vsque Cyri, virilem  
ætatem comprehendunt. Senilem  
ætatem,

ad Chronologiam.

ætatem, spatio quod intra Zorobabelis gubernationem, & Christi Domini nativitatem intercurrit, circumscripsimus, quæ sexta est Mundi ætas. Septima & postrema, quam sacri codices vocant *nonissima tempora*, hoc toto tempore labitur, quo vitamducimus, & cum Mundo finiente finietur. Nam octauam æternam fore, in cœlis, vel inferis, omnes norunt, qui verum Deum norunt.

---

C A P V T V.

*Epochæ defectionum Solis &  
Lunæ.*

**I**N Epochis etiam numerari possunt Solis & Lunæ defectiones, quas eclipses, mutuato à Græcis nomine dicimus. Sunt enim temporum cœlestes notæ eæque, si recte obseruentur, certissimæ, maximeque in sua mutatione constantes: & ab ijs numerandi temporis principia duci possunt. Nihil enim vetat numerare annos ab ea defectione Solis, quæ Astyage Medo regnante contigit, quam Thales philosophus multo ante prædictissime dicitur aut ab ea eclipsi Lunæ, de qua imminente, contra Perseum postremum Macedoniae regem, certamine, Sulpitius

## Introductio

eius Gallus pr̄emonuit Romanum exercitum, & inutili metu liberauit. Aut ab eo Solis deliquio, quod sub Xerxis transitum in Europam, dicitur accidisse; atque ita de ceteris.

Verum huiusmodi Epocharum obseruatio, exacta notatio & usus, non est tyronum, quibus in primis instaurandis operam damus hoc tempore, sed Astronomorum, qui Theoriz planetarum incumbunt, quorum scientia per paucis est peruvia. Non est, inquam, studiosorum Historiz, cui omnes operam natare possunt, qui politiorem eruditionem adamarunt, & cui Chronologia famulatur: noscias scientias confundere, & cœlum pelago terræque miscere velle videamus. Qua importunitate, haud scio an pernicias illa maior studijs adolescentium possit aliquando contingere. Et profecto mirari libet eorum prudentialiam, qui huiusmodi defectionum notas, totius Philosophiaz, ac Mathematicarum disciplinarum expertibus suadere, ac laudare non dubitant adolescentulis. Utrosque meminisse oporteret illius adagij non inepti.

*Qui binos lepores una sectabitur  
hora,  
Quandoque alterutro, quandoque  
carebit utroque.* Nec

## *ad Chronogiam:*

Nec dispari laborant imprudentia,  
si qui forte prima literaturæ rudimen-  
ta, syntaxim, poëticam, historiam in-  
vnum congesta fascem, puerilibus  
humeris imponunt: aut qui Gramma-  
ticam simul cum Philosophia, aut et-  
iam Theologia sibi comparare festi-  
nant: quæ via est ad probrosam igno-  
rantiam certissimam, & compendiaria  
methodus ad errores, & temerariam  
propriæ doctrinæ opinionem. Qua-  
peste, nihil ut grauius dicam, nulla  
ingenijs capitalior esse possit; ut  
propterea prudentibus studiorum  
moderatoribus commendatissimum  
esse debeat, ne tantam in Rempub.  
literariam securim injiciatque infligi  
patiantur ab ijs, qui suis potius, quam  
adolescentum studijs seruire videri  
possunt. Ipsique adolescentes sibi per-  
suadeant satius esse firma naui, perito-  
que nauclero, lentius maria securius-  
que sulcare, quam Dædaléo remigio  
temere, ac præpropere occupato,  
*vitreo*, ut ait Poeta, *dare nomina Ponte.*  
Epochas ergo istas, cælestesque cha-  
racteres aut relinquamus Astrologis,  
aut in illud certe otium, tempusque  
differamus, quo post decursa studia  
politiora, ius fasque fuerit Mathema-  
ticis vacare disciplinis.

Caput

*Introductio*

---

C A P V T . VI.

*Regulae dirigendæ, ac stabiliendæ  
Chronologie.*

**S**equitur ut nonnullas stabiliendæ Chronologiæ regulas persequamur, quas si studiose secuti fuerimus, quantum quidem humana- rum rerum infirma conditio ferre pos- test, aut nunquam, aut certe raro ab- errabimus à recta via. In ijs princi- pem locum tenet diuina autoritas, quæ sacris literis continetur: Et qui- dem vel distincte & explicatè, vt Ad- adamum mortuum esse anno mun- di & suo 930. vel ex certa, rectaue consecutione: vt Noëmum natum esse anno mundi millesimo & quinqua- simo septimo, quoniam, Scriptura te- ste, sexcentorum erat annorum in- unte Diluvio, quod incidit in annum, vt fatentur omnes, 1656. iuxta He- bræum textum, editionemque Vulga- tam. Mathusalem quoque, qui eodem ipso anno mortuus est, neque octo animabus, quæ erant in arca, com- prehendebatur, recte colligimus anno mundi natum 687. vt qui vixerit an- nis 969. Denique natum Abrahamum

anno

*ad Chronologiam.*

anno patris sui 130. quippe qui moriente patre, anno vitæ 205. septuaginta quinque erat annorum, quod utrumque est, ex ipsa Geneseos affirmatione, perspicuum. Quod si dubitatio in sacro textu nascatur, ea vel ex alio eiusdem loco, si quis occurrat, vel ex sanctorum Patrum interpretatione, vel ex recta ratione expedienda est. Ut in hoc ipso exortu Abrahæ. Scriptura enim, quæ ait Thare fuisse 70. annorum, cum genuit Abram, Nachor, & Aram, non pugnat cum ijs, quæ paulo ante ex ea protulimus, sed ita intelligenda est, ut duntur taxat affirmet Thare non fuisse tres illos filios ante septuagesimum annum, sed deinceps. Sic enim paulo ante dixerat, Noë cum quingentorum esset annorum, fuisse Sem, Cham, & Iapheth, id est, non prius, sed ab anno quingentesimo.

*Ca. II. 32.*

*Ca. 12. 4.*

*Gen. II. 26*

*Gen. 5. 31.*

---

**C A P V T VII.**

*Altera regenda Chronologia  
regula.*

**A**ltera regula est Humanum testimoniū, vel scripto vel verbo traditum: quod tanto firmius est,  
ac

## *Introductio*

ac maioris momenti , quanto testis  
maioris est fidei , atque autoritatis ;  
præsertim si res à se visas , perspectas.  
expertasque prodat : aut quanto res  
plurium assueratione firmatur. Etsi  
enim aliud ab alio accepisse non im-  
prudenter dici potest, quanquam po-  
test etiam non accepisse, posteriores  
tamen prioribus iudicij sui atque sen-  
tentiaꝝ suffragium, quasi pedarij sena-  
tores non inuiti protulerunt. Illud  
quoque plurimum valet in hoc testi-  
monio, si autor eius non solum res sci-  
re potuerit , sed voluerit etiam non  
discedere à veritate. Sunt enim plerique  
quorum testimonium à benevolen-  
tia , timore , odio aliōve affectu  
potius, quam à veritate expressum est,  
quibus illud occini potest ,

*Dum laudat ciues , dum damnat  
Pogius hostes ,  
Nec malus est cinis , nec bonus hi-  
storicus ,*

*Qualis est in Historia Tiberij Vel-  
leius Paterculus, in Iudaica Iosephus,  
in Constantiniana aut Iulianica  
Zozimus. Qualis in Paulo II. Platina,  
aut in tota Historia Ecclesiastica  
Magdeburgenses, quos Christianꝝ ac  
Catholicꝝ religionis odium in trans-  
uersum egit , & ynica Centurias scri-  
bendi causa fuit.*

*A*

## Ad Chronogiam.

Ac ne illa quidem testimonia, quæ à primis autoribus, atque antiquissimis afferuntur, certissimam faciunt atque indubitatem fidem; sunt enim qui ipsa antiquitate vacillant, ut Enoch ab Adamo septimi scripta, ut Bezoſi, & eorum quos Annus Viterbiensis excitauit ab inferis. Denique qui antiquissima illa posterius scripsere, se mutuæ, scribere non diffentur.

Diodorus  
Siculus

Ac ne recentissima quidem pro certissimis semper habenda sunt. Quam multa enim quotidie pro veris nunciantur, quæ postmodum incerta, deinde falsa etiam deprehenduntur. Nimirum tempore ipso illustrantur omnia: ut non immerito veritas filia Temporis olim dicta videatur. Fides enim omnia, ut ait Tullius, celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum. Ex quo intelligitur posteriora pro veritate suffragia, prioribus nihil admodum cedere.

2. Offic.

Caput

Introductio

C A P V T . V I I I .

Tertia regula, & quæ contra ipsam  
peccentur.

**T**ertia regula est recta Ratio, quæ  
tres interius spectatas perspe-  
cta que probat, ut quæ nihil absur-  
dum, nihil dissonum, aut repugnans  
circumspicienti produnt. *Recta enim*  
*ac praua talicit quodam sensu diudi-*  
*camus*, ait Orator. Ea mentis actio  
in homine ingenioso ac prudente  
cernitur: sed id lumen ingenij, pru-  
dentiæque maturitas, si ingenita fue-  
rit naturæ beneficio, id est, liberali-  
tate diuina, excoli potest ac perfici,  
si admodum deficit, modice corrigi, si  
plane desit, inseri omnino non potest.  
Contra hanc quam dixi rectam Ra-  
tionem multū læpe grauiterque pec-  
catur in re Chronologica: cuius è re  
fuerit aliquot huiusmodi peccata in-  
dicare tyronibus, à quibus triarij ali-  
quando nonnulli non satis cauerunt,  
siue dum noui aliquid dicere cupiunt,  
siue dum piget ac pudet mutare sen-  
tentiam.

*Ticinius* Sit ergo primum in hoc genere de-  
*regno Sau* lictum, tempus rebus gerendis ido-  
*lis tribuit.* neum, aut quod satis sit non trbuere.

Ideo-

*ad Chronologiam.*

Ideoque Rabbinos aliquos non solum falsitatis arguimus, sed etiam impudentiae non ferendae, qui Aranum Abrahæ fratrem, septimo vel octauo vitæ sue anno Saram filiam suam genuisse mentiuntur, nimirum ut Abrahamum Tharæ primogenitum inepta ambitione constituant. Sapienter quoque M. Tullius Sex. quandam Neuium falsi criminis arcessit, quod alioqui necesse sit biduo septingenta passuum millia fuisse decursa. Sicubi ergo de tempore gestæ rei coniecturis agendum fuerit, ita spatia temporis distribuenda erunt, ut quod cuique rei peragendæ sufficiat, prudenter tribuatur.

---

CAPVT IX.

*Alterum contra hanc regulam in re Chronologica insigne delictum.*

**I**llud quoque rectæ rationi, cum in rebus alijs, tum in ratione temporis non parum aduersatur, si ut deuites minus aliquid incommodum, in maius quoddam, aut plura etiam imprudente rincurras. Quo in genere non leuiter peccant, ut cum bona eorum veniam loquar, qui cum locutionem quandam in Iudicium libro aliquoties  
ē iteratam

## Introductio

iceratam concoquere non valeant, & aliam deuorent nihilo molliorē: & incommodissime Israëlitarum tēporum illorum separant seruitutes, ab illis annis, quibus singuli Iudices Rēpubl. administrasse à Scriptura ipsa traduntur. Sed eam rem si placet explicatius proferamus, & prudentis Lectoris iudicio permittamus.

Cap. 3. II.  
Et 30. Et  
cap. 5. 32.  
Et cap. 8.  
28.

Autor libri Iudicium Hebræorum, quē Samuelē nonnulli putant, scribit aliquoties, terrā Israëlitarum aliquot an. quieuisse, puta 40. Othoniele, Baraco, Gedeone aut etiam 80. Aodo, ad publicæ rei clauū sedentibus: quibus tamē an. pleriq; turbulenti admodum, atq; inquieti continentur. Nā Hebræi Cusano an. 8. Egloni an. 18. Iabino 20. Madianitis 7. Ammonitis 18. postremo Philisthæis an. 40. seruierunt. Necesse tamē est istos ipsos annos, quib. terra quieuisse dicitur, esse illigatos in periodo gubernationis eorū Iudicū, quos Dñs ad libertatem populi sui suscitabat: ijsq; includi eas, quas diximus seruitutes. Nimirum vt anni, exitū inter ab Ægypto & tēpli Salomonici iacta fundamēta constent, prout à Scriptura plane ac dilucide definiuntur,

Dicamus igitur, cum cōmuni Scripturæ interpretū sensu atq; sententia, terrā Israëlitarū quieuisse viginti, aur

3. Reg. 6. 1.

## *Ad Chronogiam.*

40. an. id ē esse, quod intra 20. aut 40.  
annos datā esse populo illi quietem, à  
tyrannide vicinorū principū, atq; po-  
pulorum, qui sub exortū talium Iudi-  
cum opprimebant Iudeos: non autem  
totos illos ann. aut quietos fuisse, aut  
turbulentos. Quæ interpretatio nihil  
admodum durum habet, quodq; He-  
breo idiomati, ex quo nata est Latini-  
na versio, non sit indulgendum. Qui  
autē communissimæ huic, & cōmodis-  
simæ interpretationi non acquiescūt,  
& Iudaicæ seruitutis annos à Iudicum  
gubernatione distrahunt, multis Scri-  
pturæ locis vim afferre coguntur. Pri-  
mū quòd cum sint sex interualla ser-  
uitutū, duo posteriora Iudicum tēpo-  
rib. permiscent, priora seiungunt arbit-  
ratu suo, cum eadem sit ratio & causa  
singulorū: & Deus æq; in singulis po-  
puli sui peccata puniret, æq; singularū  
vindices ac liberatores fuscitaret, po-  
puli pœnitētia, & propria miseratione  
ac facilitate placatus.

Deinde apertissimum Scripturæ lo-  
cum corruptionis arguant ac falsita-  
tis, quod sane animus horret, & piæ  
aures merito respuunt; eumq; ita cor-  
rigūt, vt pro 480. an. ab exitu ex Ægy-  
pto, ad tēpli Salomonici fundationē,  
quos Script. postulat, 500. ac 20. cōsti-  
tuant:

## *Introductio*

ruant: quos ut stabiliant, non minore  
licentia viginti annos Heli Pontifici  
detrahunt; aut ut suos illi annos qua-  
draginta iudicariæ potestatis conser-  
uent, Samsonem exautorare non du-  
bitant, quem sacer textus 20.annis iu-  
dicasse populum, semel iterumque  
testatur: aut certe duos simul Iudices  
toto Samsonis tempore constituunt.  
Denique quadraginta Arabicæ per-  
egrinationis annos, in unicum annum  
audacter cogunt atque contribuunt  
sic ut exitus ab Ægypto, non à primo  
egressionis anno, sed à quadragesimo,  
si superis placet, inchoetur, haud mul-  
to minore absurditate, quam si quis  
anno vitæ suæ quadragesimo dicatur  
viuere cœpisse. Nonne fuerat longe  
satius, illam, quam dixi, mitigare lo-  
cationem, quam se in tot absurdita-  
tum laqueos induere, & delicatius  
excolare culicem, cum audeas deglu-  
tire camelum.

---

## C A P V T X.

*Quæ pro eo delicto purgando fauere  
videantur.*

**A**T enim fauet isti sententiæ S.  
Augustinus, qui desertè inter-  
ualla pacis à bellicis, sollicitisque dis-  
cernit. Non negamus sane, quod tan-

tus

*ad Chronogiam.*

tus doctor affirmat, per intermalla temporum paces alternas & cum bellis, sed affirmamus bellum pacemque subsecutam, vnius principis gubernatione à Scriptura comprehendti, quod nusquam negat S. Augustinus.

Quod autem putant in sacris codicibus egressionem ex Ægypto pro ultimo Abrahæ peregrinationis anno usurpari, profecto non rectè putat. Non pigebit ipsa Mosis verba describere. Ista est, inquit, lex quam proposuit Moyses coram filiis Israël, & hac testimonia, & ceremonia, atque iudicia, qua locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto trans Iordanem, in valle contra fiumen Phagor, in terra Sehon regis Amorai, qui habitauit in Hesebon, quem percussit Moyses: filij quoque Israël egressi ex Ægypto possederunt terram eius; &c.

Et dici quidem potest, quod certissimum est, Mosem bis populo legem enunciasse. Primum anno primo Egressionis ad montem Sina: secundo vero anno quadragesimo ad Iordanem eā nouo populo repetiisse. Et utrumq; tempus videtur hoc loco Moses completi: & egressionem quidem ad primum annum referre; Sehonis autem cædem, & possessionem regni eius ad quadragesimum. Sed dici rectius potest

## *Introductio*

rest. Mosen de illa egressione, quod ad  
tempus attinet, distincte non loqui, sed  
confusè, sicut si dicamus, Regnate Da-  
uid Absalon occidit fratre suum. Vn-  
de nec annum ullum nominat Moses,  
sicut nec David, cum celebrat exitum  
Israëlis de Aegypto, ubi fugam maris,  
quæ primo anno egressionis contigit,  
cum recursu Iordanis, qui incidit in  
quadragesimum, eodem versu con-  
iungit, *Mare vidit & fugit, Iordanis con-  
uersus est retrorsum.* At Regum liber di-  
stinctè numerat annos 480. ab eges-  
sione ex Aegypto, non à trajecto Ior-  
dane, aut adita Chananitide. Nec erat  
opus Moysem illo in loco exactius di-  
stinguere tempora; id enim res non e-  
xigebat: requirebat autem, cum fun-  
dati templi Epochæ constituebatur.  
Denique ut locutio Mosis isti opini-  
oni faueret, nonne satis est ad illam  
explodendam, rem totam cum noua  
ista, atque inaudita interpretatione  
pugnare? Quis enim unquam, ab ipso  
Mose nato, dixit, annum exitus ab Aé-  
gypto, eum dicendum, aut acci-  
piendum esse, quem tute  
fatearis ab illo esse  
quadragesi-  
mum?

CA-

*ad Chronologiam.*

C A P V T   X I .

*Alia quedam in eandem rugula  
lam peccata.*

PER simili modo peccatur ab ijs , qui  
ut ortum Abrahæ, in septuagesimo  
Patriis anno constituant , quod Scri-  
ptura non asserit , quod tamen depro-  
peranti apparere solet , sacram Chro-  
nologiam totis sexaginta annis di-  
nuunt ac detruncant : suppari quoque  
licentia duas inuehunt eiusdem Pa-  
triarchæ peregrinationes , quamuis  
nullū extet in tota Scriptura , de prio-  
re illa tam diurna 60. annorum per-  
egrinatione , vestigium . Etsi Moses Pa-  
triarcham , ex ipsa eductum Chaldæa ,  
in Haram & Mesopotamiam , in Syri-  
am , Chananicidem & Ægyptum , om-  
nibus prope vestigijs persequitur .

Quæ cum in Annalibus nostris di-  
ligentius persecuti essemus , non quie-  
uerunt tamen qui contra sentiunt .  
Quippe absurdum putant existimare  
Mosem non posuisse distinctius annū  
Patriarchæ natalem , cum cæterorum  
Patriarcharum annos tam explicate  
distincteq; notauerit . Quibus nos re-  
spondebimus non esse nostrū , de Mo-  
sis cōsilio proferre sententiam ; possu-

## *Introductio*

mus tamen non temere dicere, Mo-  
sem in isto Patriarcharum catalogo,  
distincte semelque dixisse, quod pro-  
positum habuit de singulis dicere: de  
Abrahamo vero, propter quem tex-  
batur ille catalogus, & in quo termi-  
natur, non ita exactè ibi dixisse, sed e-  
ius orrum cum fratribus misceuisse.  
Quare autem nimirum quia deinceps  
accuratè, & ex instituto de ipso actu-  
rus erat. Eodem modo idem Moses in  
exponenda rerum productione, enu-  
merauit primò singula, quæ sex dierū  
serie à Deo producta sunt; ibidemque  
de productione Adami & Èvi & confu-  
se dixit, *Creauit Deus hominem ad ima-*  
*ginem suam, masculum & fœminā crea-*  
*uite eos: adeo ut eos ne nominaret qui-*  
*dem. Nimirum postmodum utriusq;*  
*productionem ac formationem sigil-*  
*latim erat explicaturus.*

Sed placet hoc ipsum altero, cum  
bona Lectoris venia, exemplo firma-  
re. Eandem quippe narrandirationem  
& viam ab eodem scriptore in Noëmo-  
seruatam videmus. Primorum enim  
Patriarcharum catalogum ab Adamo  
exorsus, ad Noëmum usque ita pro-  
duxit, ut singulorum ab illo capite æ-  
tatem & scbolē, quæ prodendæ mor-  
talium progressioni seruiebat, strictim

per-

*ad Chronogiam.*

pertexeret; in Noëmo autem ita filium narrationis abruperit, ut eius ætatem & filios nominasse contentus, nouam deinceps narrationem ordiretur, in qua de ipso Noëmo filijsque eius differeret accuratius. Ex quibus facile est intelligere, quæ hoc quoque loco Scriptoris sacri mens fuerit in Abrahami stirpe, & auorum eius serie construenda.

Itaque ne ille quidem locus, quem vnum plurimum sibi fauere putant, natalem hunc annum distincte ponit: quippe qui in eumdem annum ortum duorum Abrahæ fratrum conferat, Nachoris, inquam, & Arani; quos tamen eodem ipso anno natos probare non possunt: præfertim cum Aran ex Iosephi, & communissima Hebræorū sententia, cui S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Thomas, Abulensis, Pererius, alijq; passim interpres assentuntur, Aran, inquam, fuerit Saræ pater, & sacer Abrahæ. Sacer autem ad generū se instar haber parentis. Deinde nonne hic annus, de quo certamus, sat is accuratè mox expressus est à Mose, cum scripsit anno patris ducentesimo quinto Abrahamum natum fuisse annos quinque supra septuaginta? Denique quomodo absurdum putant non

*In trad. l.  
Hebr.*

## Introductio

distincte possum annum istum à legislatore, neque absurdum existimant annos sexaginta prioris peregrinationis Abrahamicæ mirabili, ne dicā incredibili silentio, ab eodem scriptore suppressos, qui, ut dicebamus, omnia eius dicta, facta, consilia, hospitia per singulos prope dies accurate dinumeret. Non contenti porro aduersarij geminā Abrahæ ex Haran propugnare migrationē, nos etiam peruerſionis audacter accusant, quam ipſi eodem in loco vitare non poslunt, dum S. Stephani verba traiiciunt; atq; peruerſunt. Quippe cum is distincte atq; ordine dixisset translatum Abramum in Chananitidem, post mortem patris, & non datam illi hereditatem in ea, neq; passum pedis, quippe quem Deus peregrinè agere, in ea regione statuerat; sed re promissam tamen in gratiam vsumque filiorū eius, quos nondum suscepserat: ipſi promissionem aliò trahunt, & in id tempus pertinendo transferunt, quo primum tempore Patriarcha ē Chaldaea cum patre proficisciēbatur, id est ad annum retro sexagesimum quintum.

Vide quæſo, mi Lector, locum ipsum, nec patere offundi tenebras luci. Nam D. Stephanus, pro ratio temporis

Cap. 5. po.  
q̄ns.

p. 90. Rer.

Ad. 7. s.

*ad Chronologiam.*

poris exigebat, principio translatio-  
nem, siue migrationem in Chananæ.  
posuit, volente Deo famulum suum  
quasi in rem præsentem, & possessio-  
nem venire regionis, quæ filijs eius  
destinata erat; qui cum nondum natu-  
ræ essent, ideoque ipsi sibi non posset  
pater ipse eorum nomine, terræ pos-  
sessionem adiit, quasi ex Prætoris de-  
creto dicentis, *Semini tuo dabo terram*  
*banc*, quam scilicet præsenti ostende-  
bat præfens. Quam promissionem se-  
nex se acceptam habere protinus o-  
stendit, ædificato ibidem altari. Vides  
Lector, promissionem dationi substi-  
tutam; eique quodammodo cohæren-  
tem, & eodem orationis filo contex-  
tam, & in Chanantide, non in Chal-  
dæa factam; quæ illi ita corrigunt ut  
promissionem velint 60. annis ante-  
cedere translationem, & Chanantide  
dem in Chaldæam mutant, quasi Deus  
Abrahæ Chaldæam promiserit; deni-  
que *promisit in promiserat* conuertant.  
Nonne satius fuerat, fictitiam illam,  
nulloque modo necessariam, vel  
serò abolere migrationem, quam  
sacrorum codicum verba mentem-  
que distorquere? Quia, ut par est,  
immota consistente, vitare non pos-  
sunt quin Ismaël & Isaac nati sint; post

## Introductio

annum patris centesimum trigesimum  
quintum; cum tamen ille ortus sit an-  
no patris octogesimo septimo, iste  
centesimo.

Quoniam vero videbat amicus no-  
ster improbabiliter atque absurde à  
plerisque dici Abrahamum sexaginta  
illis annis crebro adiisse parentem su-  
um, in Charan tam diu commorantem,  
maluit ipse omnia hæc pietatis atque  
humanitatis officia, quasi impacta se-  
curi præscindere, atque affirmare, i-  
psum semel omnino sub patris obitū,  
paterni funeris curandi causa, & di-  
videndæ cum fratre hæreditatis, pro-  
fectum in Charan. Itaque fatetur A-  
brahamum totis sexaginta annis, pa-  
tris caruisse conspectu, humanitatis ac  
paternæ pietatis oblitum, qui tamen  
in externos, ignotosque homines hu-  
manissimus fuit: & eius parentis obli-  
tum, qui propter suum in ipsum amo-  
rem, è paterna domo tam grandis na-  
tu, cum ipso migrauerat: & quod ca-  
put est, quem infirmum in fide ac ty-  
ronem studiose foueri oportebat. Ita-  
que, si ipsum audies, cadet in sanctissi-  
mum Patriarcham seuerissima illa vox  
Apostoli, *Si quis suorum, & maxime do-*  
*mesticorum curam non habet, fidem nega-*  
*sit, & est infideli deterior. Absit à nobis*  
*tam.*

*1 Tim. 5, 8.*

*ad Chronologiam.*

nam male de tali ac tanto viro sentire.  
Affuit illi potius charitate singulari, ut  
filium bene moratum decebat, ad an-  
nos fere quinque in Charan; & quem  
iamdudum à recto Dei cultu aberran-  
tem, Deo conciliauerat, eundem ad  
mortem usq; in vera religione suspen-  
tauit. Imo hæc vna causa fuit, cur  
quinque annis, à relicta Chaldæa, pro-  
fectionem differet in Chananaeorum  
terras.

Prudentia quoque, & rectæ ratio-  
nis iudicium merito desideretur in  
ijs, quibus non satis est testimoniū in Se-  
ptuaginta viris, vtique sapientibus, &  
Dei spiritu plenis, & quorum non in-  
tererat mentiri; ac ne in sancto quidē  
Luca Euangelista, cum iuniorem Cai-  
nan posteriorum Patriarcharum cho-  
ri inserunt; eiusque ortum, parentem,  
ætatem, liberos, mortemq; definiunt.  
Neq; intelligunt, qui contra sentiunt,  
iustum Moysi causam esse potuisse,  
cur illum prætermitteret, sicut S. Mat-  
thæo fuit, tres ut reges in suo Euange-  
lico catalogo missos faceret; non po-  
tuisse autem esse S. Lucæ; neque Se-  
ptuaginta senioribus causam ullam,  
cur hunc Cainan Patriarcharum cata-  
logo falso insererent, quod sine men-  
dacio fieri profecto non potest.

*Introductio*

C A P V T XII.

*Quarta regula regenda Chronologia,  
contra quam peccat periodus  
Iuliana.*

**C**onstitutamus & quartam regulam, cum alijs rebus, tum regendæ Chronologiæ perutilem. de vitando labore superfluo, in temporibus dimetiendis: frustra enim magno & temporis, & laboris dispendio, longoque circuitu aliquò peruenire studias, quò multo citius possis ciliusque peruenire. Et est quidem hoc peccatum contra tertiam quoque regulam, de qua diximus, propter ipsius amplitudinem, sed distinctius hic de inutilitate vitanda, propter Iulianam periodum, dicendum putavi. Non enim leuis est controversia inter Chronologos, de nuper inuenta periodo Iuliana, quam aliqui tanquam filiolam amplexantur suam, ne operam in eo studio diu positam perdidisse videantur: nec eam minus, quam illa aspreta cyclorum, Chronologiæ necessariam putant. Videamus porro quid sit ista periodus, ne de re non satis cognita Andabaturum more digladiemur.

Eam

## *ad Chronogiam.*

Eam patroni eius describunt, Orbem annorum ex triplici genere cylorum contextum, Solis, Lunæ & Indictionis. Nam Solis & Lunæ circuli, id est, 28. & 19. in se ducti conficiunt 28  
19  

---

252  
§32. Quem numerum si per circulum Indictionis, id est, 15. multiplices, existet numerus 7980. qui dicitur Iuliana periodus; quoniam anni quibus conflatur, Julianorum more, quibus vniuersa Europa, totusque orbis Christianus vtitur, à Ianuario, iuxta institutum Iulij Cæsaris, initium ducere intelliguntur. 28  
15  

---

2660  
532  
7980

Ad istum ergo annorum Orbem, propter eius amplitudinem Epochæ omnes ab Orbe condito aggregari possunt, atque adeo ille ipse annus orbis conditi, imo & inanes illæ Ægyptiorum dynastiarum, quas Eusebij chronicon memorat. Nec omnino poterit inueniri annus ullus re quapiam insignitus, qui sedem in ea Periodo inuenire non possit. Nam semel decursa tota periodo, iterum repeti poterit, & recurri ad eius caput. Ne autem vagè fluctuer ista periodus, annus ei quipiam certus, & omnium confessione receptus, designandus est; qualis erit vulgaris æræ siue inchoantis, siue hoc ipso anno quem agimus 1636. terminantis:

## *Introductio*

nantis: quibus si certum aliquem periodi Julianæ annum assignaueris, illico quamuis Epocham quæras, ad eam facile ratiocinando peruenies, quantumque sit interuallum inter annum illum, æramque Christianam, deprehendes. Hæc fere sunt huius periodi mysteria; quæ eius amici proferunt; quæ si vix minimi momenti instar obtinent, eam sane periodum sine contumelia dimittamus, ac facessere iubeamus.

---

## CAPUT XIII.

### *Examen periodi Julianæ.*

**Q**uoniam vero hanc nos periodum tanquam superfluam, parumque utilem non probamus, videamus quid in eius laude ponant, qui contra sentiunt. Negant annos duos in tota Julianæ periodo reperiri, qui ipsis tribus cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis notentur, nisi post illam totam plane decursam: nam tum demum ad illius caput recursum esse. Et ita videlicet nullam periodus hæc inuehet confusionem. At in hac ipsa re mundana Epochæ,

quæ

## *Ad Chronologiam*

quæ ab orbe condito petitur, longe præstat. Nullum quippe est annorum nomen, quod cum altero conueniat, usque ad infinitam æternitatem; neque unquam opus erit annos à capite, ut in ista periodo, eiusque cyclis replicare.

Addunt annum mundi in diuersis Chronologijis esse diuersum. Istam vero periodum, quæ nulli sit illigata materiæ, uniusmodi semper esse. Verum non satis cautè hæc videntur dici. Nam utraque periodus à rebus abduci potest atque abstrahi, utraque rebus, tanquam mensura earum, applicari: si primum placet, cui erunt usui inania illa, fictitiaque tempora? non ulli magis, quam imaginaria extra mundum spatia. Si applicentur rebus, facile apparabit quantum mundana periodus Iulianæ præstet. Annus enim ortus Abrahæ, exempli causa, non est idem in periodo Iuliana, ijs qui cum volunt natum anno patris septuagesimo, & ijs qui natum malunt anno Tharæ 130. sed oportet totis sexaginta annis à se distare. Itaque tam in mundana, quam in Iuliana periodo stabiliendum est prius historiæ tem-

pus,

## *Introductio*

pus , quam annus periodicus defini-  
niri possit. Sed hoc habet incom-  
modi Iuliana ista periodus , quod  
cum mundi annus Scriptura duce fa-  
cile reperi possit , ad expiscandum  
Iulianum tres ordine disquirendi sunt  
cycli , & in his annus denique Iu-  
lianu s.

. Fatentur Aduersarij, contra quos a-  
mica disputatione certamus , si anno-  
rum numerus ab orbe condito unus  
esset , idemque apud omnes ; Iuli-  
anum periodum superfluam fore, mun-  
dana quippe sufficeret. Verum cir-  
ca ingenuam istam confessionem tria  
occurunt , quæ responderi possunt.  
Primum eodem ipso vitio istam labo-  
rare periodum. Eius enim anni, ut ab  
æra Christiana minime controuersia  
fursum versus numerentur, statui pro-  
fesso non possunt, nisi iuxta diuersas  
Chronologorum sententias de anno  
mundi , ex quarum diuersitate diuer-  
sos periodi illius annos existere ne-  
cessere est. Ex quo sequitur alterū, nul-  
lum videlicet isti Scriptorū dissensioni  
ab ista periodo remedium afferri pos-  
se, quippe quæ necessario diuersos an-  
nos suggeret, pro diuersa temporis ali-  
cuius de re gesta sententia. Nam alio  
periodi

*ad Chronologiam.*

periodi Julianæ anno natus est Noë, in ea, quæ nunc extat, Septuaginta Interpretum Chronologia, alio in Hebræorum Latinorumq; sententia. Dicamus tertio, huic diuersarū opinio-  
num malo, remedium afferri non pos-  
se, nisi diuersa sentiendi, ac repugnab-  
ilis libidine castigata, quæ vtiq; pœnā,  
aut commiserationē sapientibus, cæ-  
teris ludibriū debet; Remedium au-  
tem, vt aiebat ille, nisi Deus aliquis at-  
tulerit, omnium mortalium arbitror  
afferre posse neminem. Suadeamus  
certe iunioribus eam sequi, quam in  
nostris Annalibus de ortu Christi Do-  
mini secuti sumus, & omni probatio-  
num genere confirmauimus. Et nunc  
quoque, post annos 12. ab ipsis Anna-  
libus editis, Scripturæ maxime con-  
sentaneam putamus, & à qua Chrono-  
logiæ peritissimi quique vix uno, aut  
altero anno distant.

Quid autē refert, quod in huius pe-  
riodi laude ponunt aduersarij, quod  
in eam omnes Epochæ includi pos-  
sint, cū singulæ, si diuersæ sint, diuer-  
sos annos in Julianæ periodo sortiātur.  
& utra verior sit, aut omnino vera, vel  
etiam probabilis definire non possit,  
sed dicat tantum, In illa sententia

MOR-

## *Introductio*

mortuus est Alexander , regnauit Cyrus , inchoantur Olympiades , anno tali periodi Iulianæ ; in altera vera opinione , anno tali . Quid hic compendij est , aut quæ omnino opportunitas , & non cassus potius , atque inutilis labor ? Quare Chronologus hic mundum vult esse conditum periodi Iulianæ anno 731 . alius 764 . vel quinto , alius etiam alio ? nisi quia historiarum rerum que gestarum tempora aliter , atque aliter numerant . Quidam mundum ab Autumno , alij à Vere inchoant , quid hic opis afferer Iuliana periodus ? quid Solis aut Lunæ circuli , ad veritatem à tenebris eruendam ? Diuersæ sunt opiniones , aiunt , de anno Urbis conditæ , quæ tamen in eundem annum periodi Iulianæ cadunt . Reuera non est ita , nisi in eundem mundi annum conueniant ; alioqui , quod annis inter se , totidem in periodo Iuliana distabunt . Sed esto , eodem comprehendantur anno , quid hoc Chronologum veritatem inquirentem iuuat ? Eadem est ratio aliarum Epocharum , quarum Chronologicas molestias nu- pera

*ad Chronologiam.*

pera hæc methodus nunquam extri-  
cabit.

---

C A P V T . X I V .

*Num periodus hæc Chronicos errores  
castiget , aut ea vtentis memo-  
riam subleuet.*

**H**Æc quoque in huius periodi laude ponuntur , sed quam legitime ? Non enim Chronicos errores castigare potest , nisi posito vnam aliquam opinionem , verbi causa , de primo anno Olympico , esse veram , eique talem annum periodum recte congruere : tum cæteræ omnes sententiæ ; quæ ab illo anno Juliano aberrabunt , falsæ erunt. Esto sane , ad id non erit periodi Julianæ beneficium , sed aptæ dispositionis annorum Olympicorum. Et quamuis id esset huius periodi beneficium . Nonne idem valebit in anno mundi ? Si enim posuerimus Olympiades inchoari anno mundi 3278. quod nos verum credimus , quæ opinio à nostra plus minusue discedet , illa plus minusue aberrabit à vero.

*Qui*

## Introductio

Qui autem ista periodus memoriam  
subleuare possit, & non potius one-  
rare soleat, non satis intelligo. Facilius  
enim est, & ad vsum, ac memoriam  
longe promptius reperire, quo mun-  
di, aut diluuij, aut alterius Epochæ an-  
no, aliquid factum fuerit, in commu-  
ni sententia Chronologorum, quam  
quo id anno contigerit periodi Iulia-  
næ ; qui annus necessariò varius est,  
pro opinionum, quas sequi debet, di-  
uersitate ; & multo est, quam Mundi,  
aut Diluuij annus, obscurior. Qui er-  
go hanc memorię facilitatē experitur,  
eam peculiari Dei beneficio tribuat,  
non laboriosis periodi Julianæ tricis,  
quæ nisi multo cum additionum, sub-  
ductionū, & diuisionum labore, usui  
esse non potest. Quærat enim aliquis,  
quo anno periodi Julianæ ortum sit  
Diluuium, Quid respondebit perio-  
dicus iste Chronologus ? Nihil habet  
quod respondeat, nisi prius quæsierit,  
atque acceperit quem Solis cyclum  
habeat ille annus. Cui si obieceris,  
tarde ipsum respondere quæsito, &  
impeditiorem etiam obtrudere quæ-  
stionē: perstabit nihilominus in mora.  
Demus ergo, ne morosi simus, Solis  
cyclo decimo eluisionem illam con-  
tigisse:

## Ad Chronogiam

tigisse; hærebit etiam nunc, negabique sibi satis esse Solis cyclum accepisse, volet etiam Lunæ. Quid nobis cum tot circulis annorum, qui vnicum annum petimus? nonne hoc tergiuersari est? sed demus etiam cyclum Lunæ gratis, sit quinque, si placet. Nunc denique uno verbo dic, quod te volumus. Necdum responderi potest, inquit, tertium postulatum necessarium est, Indictionis Romanæ: de cuius numero ubi constiterit, tum demum multiplex additionum, subtractionum, multiplicationū, & partitionum inchoandus est labor. Apagetricas istas: ut rem facilem addiscam, tot mihi obscuræ quæstiones sunt evoluendæ? toties Arithmeticus ad eundus? videlicet ad subsidiū memoriaræ. Quanto promptius, certius, expeditius ex historia mundana responderimus, inundationē illam primā anno ab ortu rerum 1656. contigisse? quod ex Mosaico Patriarcharum catalogo priore, sine vlla dubitatione confirmabimus.

Quid quod ne cyclus quoque Solis aut Lunæ, beneficio huius periodi, certo reperiri potest? nimirū propter minutias, quæ superfluunt, prohibent-

## Introductio

bentque Solem aut Lunam in idem  
punctum , cyclo absoluto remeare.  
Experiamur in Luna : Certo constat  
ex omnium Astronomorum consen-  
su , intra nouendecim annos minu-  
tias colligi , quæ vnam horam cum  
dimidia conficiant. Itaque sedecim  
Lunares circuli , diem vnum , intra  
trecentos & quatuor annos omnino mu-  
conficiunt; duo autem & triginta, dies see-  
duos , atque ita deinceps eodem mo-  
do progreedi licebit: Ex quo denique  
fiet, ut pro plenilunio, quod indicatur  
ab egregia ista periodo , nouilunium  
reperiatur. Grauissimam hanc periodi  
Iulianæ plagam , patroni eius curare  
aliter non possunt, quam si , post tre-  
centos & quatuor quoisque annos, in-  
serant , atque adjiciant vnum diem:  
quo scilicet die intra illos annos defi-  
cit ac manca est ista periodus, in Lunæ  
cyclo reperiendo , & insanabiliter ab-  
errat à vero: quem errorem liquidò  
cōstat in singulos Lunæ cyclos  
proportionē redun-  
dare.

— 60 —

CA-

ad Chronol.

CAPVT XV.

Periodo Julianæ rationem mensuræ  
non conuenire.

**O**Mnes temporum notiones, quibus certa eorum spatia dimetimur, puta menses & anni, ætates & dies secula, Olympiades & Sabbatismi, certæ quædam mensuræ sunt temporis definiti. Si ergo periodus Julianæ mensura est, & quidem omnium, quæ in usu sunt, maxima, ut quæ 7980 annos colligat, cæterasque temporum mensuras dijudicet, atque discriminaret, mirum profecto est ei mensuræ rationem non conuenire: quæ videlicet debet esse notissima, aut certe notior re mensurata, ut quæ ad eius cognitionem deducat, ut vlna panni, decempeda muri vel agri, cuius amplitudinem cum ignoremus, decempeda eam notam facit. Ista vero periodus, quæ iam notas ponit inductiones, Solisque & Lunæ circulos, nonne obscurior est annis Mundi, & Vrbis conditæ, si de ijs incidat quæstio, aut quælibet alia cæterarum Epocharum, aut spatiorum tem-

A-  
i . poris?

## *Introductio*

poris? Idque ipsi, si aduertant, facil  
concedent. Cur enim cyclos cætero  
rum planetarum Martis, Mercurij  
Veneris, dimetiendis temporibus no  
adhibent? nisi quia sunt obscuriores  
quam ut ijs tempora, resue gestas mul  
to notiores mensuremus.

Rectius ergo est, multoq; facilius  
notas ac vulgares temporum mensu  
ras assumere, & ad humanos usus ad  
hibere, vel ex historici sacri autoritat  
ad certitudinem, vel ex profano scripu  
ad probabilitatem. Deinde rationen  
ipsam adhibere ducem, quæ doceat  
tali ver.gra.rei gerendæ, tantum tem  
poris esse necessarium, nec suffici  
minus. Historia non solum testis ei  
temporum, sed quoddā quasi corpus  
quo nuntiuntur accidentia. Nō indigen  
vmbbris corpora, sed corporibus,  
stylis, vmbrae, quæ ab illorū situ, mo  
tione, quiete omni ratione pendenti.  
Temporum ergo notæ, quibus quæ  
que res contigerit, vmbre sunt, Histo  
ria, ratione & autoritate idonea dige  
cta, stylus; quem ubi scriptor Histo  
riæ prudenter constituerit, & per mu  
ndi annos in primis, æramque Christia  
nam digesserit, accedit postmodum  
Scriptor aliquis cyclicus, qui obser  
uatas

## *ad Chronologiam.*

uatas per otium obscuriores styli umbras, creta notabit argentaria, vel miniatula cera.

Hac ergo mundana Epochæ, & Christianæ æra præcipue usurpata, nec tamen repudiatis cæteris vulgaribus, Diluuij, Olympiadum, Vrbis conditæ, cæterisque Epochis, Julianam periodum, ut rem tyronibus præsertim difficilem, & quod caput est, rei Chronologicæ inutilem, ut non nemo Mathematicorum ingenue fatetur; certe in tanta aliarum Epocharum longe faciliorum, ac notiorum frequentia, superfluam, proptereaq; neglectam à doctissimis Chronologis, qui multis retro seculis floruerunt, longum valeat iubeamus.

---

## C A P V T XVI.

### *De recta eligenda Chronologia.*

**Q**uoniam vero non nostra solum, sed patrum quoque, atq; auorum memoria, atque adeo ab ultima pene antiquitate, innumerabiles Chronologæ è tenebris emerserunt in lucem, non placet, ut vnam aliquā probemus, nostrum de singulis proferre iudiciū, & censoria virgula ambitiosè vti; id enim non solum odiosum fuerit, sed hominis etiam suæ tenuitatis, aut cer-

## *Introductio*

te mediocritatis ignari. Huius tamen doctrinæ Chronologicæ candidatum monebo, vt eos in primis amet, eligatque Chronologos, qui communis simis sententijs libenter adhaerent, quæ usu ipso ac diuturnitate temporis autoritatē, & officiosum sapientum virorum suffragium meruere: eos autē seponat, qui non tritis ingredi via præclarum putant, sibique illud gratulantur,

### *Liber a per vacuum posui vestigia princeps.*

qui fere mos est, morbusque Nouatorum, tantoque minus Catholicis Scriptoribus æmulandus. Id autem iudicium, atq; electio non tyronum, sed doctorum esse oportet, qui veritatem magis quam proprias opiniones ameni nec indecorum putent. S. Augustinus retractantem, &c. meliora recipientes imitati.

Suaserim quoque ne steriles illas & ad memoriam fluxas & labiles admit Chronologias, quæ diuersarum historiarum puncta duntaxat continent, nisi fortasse qua mente hos studioso lectori annos expandimus, ut sint maioris operis indices, a quod cum fuerit opus recurratur. Illi  
enī

*ad Chronologiam.*

amen enim compendiolis, qualia passim ty-  
latum rones ambiunt, ac manibus terunt,  
, eli nullus vñquam, qualibet in scientia,  
nunis doctus euadet.

Ac ne eas quidē laudauerim Chro-  
nologias, quæ quasi saltuatim diuer-  
sas contexunt historias, & scopas, ut  
est in proverbio, proferunt dissolutas;  
aut quæ centenos annos vnum in fas-  
cem colligunt, miscentque nepotibus  
auos. Ea enim farrago, cum pro scien-  
tia confusionem pariat, memoriamq;  
perturber, iustæ reprehensioni vide-  
tur obnoxia.

E contrario illorum laudandum est  
institutum, qui res gestas in singulos  
annos, quantum diligentia consequi  
possunt, aut res ipsa patitur, prudenter  
digerunt; menses quoque ac dies,  
cum licet, annotant: quod ab optimis  
quibusque scriptoribus Græcis, Latini-  
isque iampridem factitatum vide-  
mus; eamque laudem, nostris hisce  
temporibus, plerique Latina, patriaq;  
lingua feliciter æmulantur. Quorum  
nos vestigijs insistere, tam in Annalib.  
nostris, quam in eorum Episoma cona-  
ti sumus. Neque, ut arbitror, impru-  
denter. Nā cum gesta res, bellū videli-  
cer Peloponnesiacum, aut Macedoni-

i 3 : cum,

## *Introductio.*

cum, in plures annos excurrit, in plures quoque partes, ex instituti nostri legibus, distinguenda, & in plures quasi riuos deducenda est ipsa narratio: ut sicut annis singulis renouatur Lectoris attentio, ita etiam nouus quidam delectationis gustus, in ipsius animo, tanquam exhausto recens dolio vino, in praesentem eius usum subinde redintegretur.

Quid autem in hoc Enchiridio Chronologico, expandendis mundi annis, prout sunt in nostris Annalibus, Epitomaque digesti, praestiterimus, in memoria eruditorum substdium, & tyronum Chronologiæ primariam informationem, vel primus in eas oculorum coniectus vtrosque docebit. Noli enim putare, mi Lector, tantam breuitatem obscuram, inutiliem, ac prope exanguem fore. Nam fere in omnibus, quæ indiculus iste quantauis breuitate indicat, tria statim docentur, i. Primum, quo Mundi anno, res de qua queritur, contigerit. z. Qua Olympiade, si post earum initium, res locum habet: 3. & quo Vrbis conditæ anno: præter narrationem, quæ de eo ibidem tangitur. Verbi gratia, queratur in hoc Enchi-

*Ad Chronogiam.*

chiridio, quando vixerit, Plato, Indi-  
cules dictabit paginam 154. Ibi illico  
duobus verbis notatum reperies, eum  
natum anno mundi 3625. anno ultima  
Olympiadis 78. & Vrbis conditæ 324.  
eodem anno quo mortuus est Peri-  
cles, anno tertio belli Peloponnesiaci,  
quo Græcia vniuersa annis 27. con-  
cussa est; & alia plurima, quæ eadem  
per breui pagina continentur. Quæra-  
ture eodem modo, quo anno vixerit  
Annibal. Indiculus paginam indicabit  
230. ubi reperies eum annos natum  
26. in Hispania Asdrubali successisse,  
anno Mundi 3833. Olympiade 139.  
annoque eius ultimo. Vrbis conditæ  
anno 532. eodem anno quo Ptolem.  
Euergetes. rex Ægypti mortuus est,  
eique successit Philopator, aliaque  
non pauca, quæ eadem pagella sub v-  
num aspectum dabit.

Quod si quæritur aliquid quod Vr-  
bem conditam, & Olympiades ante-  
cedat, puta Deucalionæum diluuiū,  
id inuenies pag. 21 quæ statim mone-  
bit anni Mundi 2530. Mosis 67. Ce-  
crops Atheniensium regis 33. & quar-  
tæ mundi ætatis, cum deflagratione  
Phaëtonis, alijsq; nonnullis, quæ eun-  
dem annum circunstant. Cæterū illudi

*que*

*Introduct. ad Chronolog.*

quoque monuerim, annos qui hic, &  
in utroque opere subinde memoran-  
tur, vbiique eosdem esse, numeri vero,  
qui hic notantur, ad solos Annalium  
tomos referuntur, qui inter legen-  
dum, si molesti sunt omitti possunt. Si  
quid autem, studiose Lector, studia  
tua labore nostro, ut optabamus, pro-  
mouimus, tu fundendis pro nobis ad  
Deum precibus, gratiam, si pla-  
ceret; liberaliter repen-  
des. Vale.



ENCHL